

riæ erit de essentia ordinationis. Non valet, inquam, instantia. Respondetur enim primo, quod secundum nonnullos classicos doctores, quos sequitur Barbosa in cit. cap. *Pastoralis*, n. 1; Engel, *ibid.*, n. 7; Reiffenstuel, lib. I *Decretal.*, tit. 16, num. 6, dictus textus incuria librorum sit corruptus, et vera littera ibi habeat *diaconatus* pro *ly subdiaconatus*, ut advertit Innocentius, prout etiam duobus vetustioribus exemplaribus legi notat *Glossa* marginalis, *ibid.* Unde nec Papa, quando ordinat subdiaconum, manum imponit, ut testatur Abbas in cit. cap. *Pastoralis*, nec Pontificale Romanum auctoritate Gregorii XIII editum ullam in ordinatione subdiaconi manuum impositionem præscribit, et expresse dicitur in c. *Subdiaconus* 15, dist. 23, quod subdiaconus, cum ordinatur, non recipit manus impositionem, sed duntaxat diaconus, ut habetur in cap. *Diaconus* 11, ead. dist. 23. Hinc tenendo per supra dicta, quod ibi legi debeat *diaconatus* pro verbo *subdiaconatus*, ne superflua videatur dispositio Pontificis, quod caute sit supplenda manuum impositio omissa in ordinatione subdiaconi, ubi nullimode requiritur, respondetur, quod æque, et juste loquitur Pontifex pariformiter de supplenda impositione manus in ordinatione diaconi omissa, et de supplendo defectu balsami in confirmatione non adhibiti, quia et impositio manus dexteræ episcopi cum illa verborum forma: « Accipe Spiritum sanctam, et robur, etc. » est materia partialis ordinis diaconatus, sicuti et impositio manuum episcopi sub illa verborum forma: « Accipe Spiritum sanctum, quorum remisit peccata, etc. » est materia partialis ordinis presbyteratus, caute supplenda procul dubio statutis temporibus, si fuerit prætermissa, ut disponitur in cit. cap. *Presbyter*, et admistio balsami est pars materiæ ad valorem confirmationis essentialiter requisitæ; caute etiam supplenda, si fuerit omissa.

(61. Quod enim impositio manuum sit de essentia diaconatus et presbyteratus, colligitur etiam ex textu dicti cap. *Presbyter*, in quo supponitur, hos ordines, omissa manuum impositione, non fuisse revera collatos, sed postea primum fuisse conferendos, ut patet ex illis verbis: « statuto tempore ad hujusmodi ordines conferendos caute supplendum; » ut recte notant Pirhing, lib. I *Decretal.*, tit. 16, n. 5, § *Notandum tertio*, in fine; Reiffenstuel, *ibid.*, n. 11 et seq.; Tanner, tom. IV, disp. 7, quæst. 2, dub. 3, num. 63, et alii. Et quod admistio balsami sit de essentia confirmationis, fuit probatum in verb. CONFIRMATIO, art. 1, n. 8 et 10 per jura, concilia, decreta, et classicos doctores ibi allegatos. Quibus adde Matrium, *Theol. moral.*, disp. 17, num. 69, testantem ex declaratione Pauli III et Pii IV sullicere ad majorem commoditatem quocumque balsamum, etiam Indicum, ubi nascitur in magna copia; Layman, lib. V *Theol. moral.*, cap. 2, num. 1; Henno, tom. II, tr. *De confirmat.*, disp. unica, quæst. 3, concl. 2;

Henricx, disp. 9, *De sacram. confirmat.*, quæst. 2, num. 1; Frassen, *ibid.*, nu. 9; Piligianum, disp. 7, nu. 21, art. 3; Felic. Potest., tom. 1, part. IV, qu. 3, num. 315; Bonac., *De confirmat.*, disput. 3, quæst. unica, punct. 3, n. 2; Rosign., *De confirmat.*, quæst. 2, art. 2, concl. 3, cum multis ibi allegatis, Bosco, *De confirmatione*, num. 58, aliosque innumeros communiter explicantes text. in cit. cap. *Pastoralis*, nempe « quod in talibus non est aliquid iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat prætermisum, » respectu confirmationis collatæ cum simplici oleo sine admistione balsami, modo supra explicato respectu ordinationis factæ sine impositione manuum, id est quod non debeat tunc iterari sacramentum, eo quod supponatur sine parte suæ materiæ essentialis non fuisse collatum, et non dicatur iterari, quod nec semel quidem perfectum est; sed caute esse supplendum defectum privatim adhibendo chrisma, eoque confirmandum in fronte rursus inungendo, cum debita verborum forma, et intentione. Ita tamen ut aliæ cæremoniæ accidentales, puta nova adhibito patrini, alapæ, et hujusmodi semel solemniter adhibita, postmodum omittantur: sicque salvatur dispositio Innocentii III in cit. cap. *Pastoralis*, et praxis universalis Ecclesiæ sacramentum confirmationis per chrisma unctionem in fronte factam solitæ conferre, et damnatio primæ propositionis ab Innocent. XI facta, et mens concilii Florentini, S. Thomæ, S. Bonav., Scoti, Alensis, ac aliorum, non aliter pro necessitate sacramenti confirmationis loquentium de balsamo, ac de oleo, teste Matrio in 4 *Sentent.*, disp. 2, quæst. 8, num. 223, ubi, num. 225, advertit quod ipsemet Innocentius III jam dixerat in cap. *Veniens*, unice, *De sac. unctione*, chrisma quod ex oleo fit, et balsamo, esse hujus sacramenti materiam.

(62. Quotiescunque autem rationabile dubium emergat de valore sacramenti, id est an illud hic et nunc valide collatum fuerit, est reiterandum sub conditione, si fuerit invalidum, ut expresse statuitur in cap. *De quibus* 2, *De baptismo*, ibi: « De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis præmissis: « Si baptizatus es, non te baptizo, sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo, etc. » Ex appositione enim talis conditionis, et præcavetur omni injuriæ sacramenti, et omne præjudicium sacrilegæ reiterationis evitatur. Ad nostrum propositum attendendæ sunt tres aureæ illæ regulæ, quas universaliter in omnibus dubiis circa materiam et formam sacramentorum observandas esse tradit Scotus in 4, dist. 3, quæst. 2, § *Tertio*, *De forma*. « Prima est: Si possibilitas adest, via tutissima est eligenda. Secunda: Si non adest possibilitas, via tutissimæ proxima est tenenda. Tertia: Cessante impossibilitate, caute est supplendum, quod impossibilitas prohibebat. »

(63. Respondetur scõundo ad instantiam

quod, rependo textum, prout jacet in cit. cap. *Pastoralis*, ne videatur privata auctoritate variari textus ibi litteralis sub verb. SUBDIACONATUS per tot sæcula ab ipsis summis Pontificibus toleratus, adhuc stat inconcussa nostra conclusio, dicendo quod textus ibi non loquitur de impositione manuum consecratoria, quæ non datur subdiacono ex cit. cap. *Subdiaconus*, sed duntaxat diacono ex cit. cap. *Diaconus*; sed loquitur solum de quadam manuum impositione deprecatoria, quæ est quædam benedictio, juxta *Glossam* in c. *Pastoralis*, verb. *Impositione*, et constat ex c. *Manus* 74, caus. 1, q. 1, quæ sit etiam in minoribus ordinibus constitutis, ut habetur in cap. *Quoniam* 1, dist. 69, prout docent Abbas in cit. cap. *Pastoralis*, § *Opponitur*; Pirhing, cit. tit. 16, n. 2; Reiffenstuel, *ibid.*, num. 7; Layman, *loc. cit.*, num. 1, et plures alii. Sic in utroque casu salvatur dispositio Innocentii III in d. cap. *Pastoralis*, quod sit « caute supplendum, quod incaute fuerat prætermisum, » nempe in casu ordinationis subdiaconi, supplendam esse dictam manuum impositionem deprecatoriam, seu benedictoriam omissam, et in casu collationis confirmationis, supplendam esse admistionem balsami cum oleo prætermisam cum debita verborum forma, et intentione modo supradicto. Unde, quia in casu ordinationis subdiaconi tantum defuerat quid accidentale, tantum accidentale supplendum erat, et quia in casu collationis confirmationis defuerat substantiale, ideo supplendum erat, et in neutro casu ob id iteratur sacramentum. Non in casu subdiaconi, quia ibi suppletur tantum quid accidentale non ingrediens essentiam ordinationis. Nec in casu dictæ confirmationis, quia cum ibi defuerit pars essentialis, non fuit tunc valide sacramentum collatum, adeoque non dicitur postea iterari, sed primo conferri, cum non dicatur iterari, quod ne semel quidem perfectum est, per jura adducta supra num. 37.

(64. Non esse necesse ad valorem sacramenti ordinis, ut contactus materiæ fiat simul physice cum prolotione formæ, sed sufficere, si fiat simul moraliter, id est paulo ante, vel paulo post, defendunt Bonacina, *loc. cit.*, num. 12; Valentia, Emmanuel Sa, Nugnus, Henriquez, Reginaldus, et alii ab ipso ibi allegati; Layman, *loc. cit.*, num. 3, in fine, cum Victoria, et aliis ibi citatis, card. de Lugo, *Respons. moral.*, lib. I, dub. 33, num. 1; Palaus, tract. 27, part. 4, num. 20; Sporer, *loc. cit.*, num. 37; Felix Potest., *loc. cit.*, num. 136; Rosignolus, *De sacramentis in genere*, par. I, quæst. 2, art. 3, num. 5 et seq., et alii, id probantes etiam ex praxi nonnullorum episcoporum, qui teste Marchino, *De ordine*, tract. 1, par. 1, cap. 16, num. 13, quando plures sunt initiandi ordine sacerdotali, prolata semel forma in plurali « *Accipite potestatem*, etc. » præbent materiam pluribus successive tangendam, non repetita forma; atque validam esse talem ordinationem fuisse decisum Romæ in

quadam congregatione, testatur Martinus Fornarius, *De ordinatione*, cap. 2, num. 5, apud Bonacinam, *loc. cit.*, num. 5, tunc enim habetur similitas moralis, nec tollitur proprie significatum illorum verborum « *Accipite potestatem*, etc. » quamvis in prolotione eorumdem non coexistat physice contactus, sed tantum moraliter, id est paulo post.

(65. Navarrus vero in *Manual.*, cap. 22, num. 17; Cajetan., in *Opuscul.*, tract. 26; Paludan., apud et cum Sylvestro, verb. *Unctio*, § 7; La Croix, lib. VI, part. II, num. 2148, cum Cajetan., Richard., Navarr., Granada, et aliis ibi citatis, Matthæus., *Cautela confessarii*, lib. IV, cap. 7, num. 14, et alii plures sustinent, ad valorem sacramenti traditionem materiæ, et prolotionem formæ debere esse simul, non tantum similitate morali, sed etiam physica, saltem in aliqua parte, adeo ut, si totaliter ponatur prolatio formæ ante, vel post contactum materiæ, nullo modo subsistat sacramentum. Hinc, quia hæc sententia est tutior prima, adeo ut Gobat, tract. 7, cas. 4, num. 114, licet primam defendat, non audeat eam vocare moraliter certam, ut advertit etiam Sporer, *loc. cit.*, num. 37, quamvis ipsa non careat sua probabilitate; cum tamen agatur de valore sacramenti, ubi sequenda est tutior, ut ex propositione 1 inter damnatas ab Innocentio XI, die 2 Martii 1679, non est in praxi ab hac posteriori recedendum, nisi aliter constet esse vere a Sancta Sede decisum. Tum quia Scotus in 4, d. 6, qu. 3; Cajetan., Nav., et alii gravissimi doctores, teste Sporer, *loc. cit.*, cap. 1, num. 83, negant valere baptismum, si tota forma pronuntietur ante ceptam vel finitam ablutionem. Et Felix Potestas, *loc. cit.*, num. 137, expresse dicit: « Tutius autem est, ut saltem priusquam materiæ traditio finiatur, formæ prolatio incipiat, aut e converso, ut communiter doctores docent de baptismo. » Unde recte contra alios infert Gobat, tract. 1, num. 61, et tract. 2, num. 20, omnino repetendum esse baptismum taliter collatum, addens: « Idem omnino sentio de ordine presbyteratus et episcopatus, quippe ex quorum ifrita collatione oriri possunt innumera mala. » Sicque in praxi est omnino sequenda nostra sententia, quia quamvis, juxta sententiam adversariorum, esset valida talis ordinatio, adhuc etiam secundum ipsos adversarios esset graviter illicita, ita ut peccaretur mortaliter, si sine gravi necessitate id fieret, ut cum aliis advertit Sporer citat. num. 37, et cit. cap. 1, n. 64, concludens in genere quoad praxim, consultissimum esse, ut minister sacramenti curet majorem, quam potest facere similitatem materiæ, et formæ, v. g. in baptismo, confirmatione, extrema unctione, ordinatione, dum abluit, inungit, instrumentum ordinis tradit, simul proferat formam.

(66. Episcopus ordinans, qui profert formam, debet etiam per se ipsum porrigere materiam tangendam ab ordinandis. Sic Suarez, tom. V, disp. 42, sect. 3, num. 12;

Martinus Fornarius, *De ordinatione*, cap. 2, num. 4; Bonacina, *loc. cit.*, num. 16, cum aliis ibi allegatis; La Croix, *loc. cit.*, num. 16, et alii passim, et Mastrius, *Theol. moral.*, disp. 10, num. 26, et expresse decrevit sacra congregatio S. Officii die 1 Augusti 1697, apud Pascuc. in *Compend.*; Pignat., *De ordine et ordinatione*, qua re mature perpensa statuit ordinaros ab episcopo, qui per aliam fecerat porrigere materiam, esse reordinandos sub conditione ad formam Pontificalis Romani, non servatis tamen interstitiis, et extra tempora habilitando et dispensando forsitan inhabiles ad quæcunque beneficia, et dignitates, etiam curata, et absolvi mandavit eosdem ab irregularitate ex exercitio ordinum forsitan contracta. Et sic ordinaros ab episcopo Sagiensi, qui non tradiderat per seipsum instrumenta ordinandis, reordinari, saltem sub conditione, mandavit Clemens VIII, teste Mastrio, *cit.*, disp. 19, num. 26.

67. Hinc recte universim concludit doctissimus P. La Croix, *loc. cit.*, num. 2148, quod practice improbabilis sunt sequentes sententiæ. 1° Quod ad validam consecrationem episcopi sufficiat sola manuum impositio, et non requiratur traditio, nec baculi pastoralis, nec annuli, nec libri Evangeliorum: possuntque Dicast. a num. 110, et Illsung num. 25 de hoc videri. 2° Quod ad valorem diaconatus sufficiat vel sola impositio manuum, vel sola traditio libri Evangeliorum, et non requiratur utrumque simul; de quo videri possunt Avers., quæst. 2, § 6, et Dicast., a num. 164. 3° Quod sufficiat prius pot formam attingere vasa; ordinationem enim tunc esse invalidam docent Caj., Rich., Nav., Granado, et alii. 4° Quod ad valorem ordinum majorum non requiratur ut ordinans ipse tradat materias. 5° Quod ad valorem ordinum non requiratur contactus physicus, saltem mediatus, vasorum, seu instrumentorum, etc. Ratio horum omnium est, quia sententiæ negantes talia requiri ad valorem, non sunt moraliter certæ, sed tantum probabiles; oppositæ autem sunt tutiores; ergo non licet, his relictis, sequi illa. Carden. et alii, potestque videri etiam Aversa, s. 2, afferens auctores et rationes in utramque partem. Hactenus ille.

68. Ordines quinam suppleri debeant a clericis Græcis, qui ritu Latino ad superiores ordines sint promovendi, declarat Benedictus XIV, tom. I, constitut. 57, incip. *Etsi pastoralis*, § 7 Ubi etiam quibus legibus,

(161) Ut aliqua de ritibus ordinum conferendorum addamus, quæ ad Græcarum ordinationum ritus spectant, ex Goarii Euchologio, et Haberti Pontificali petenda sunt. Id generatim dico, Græcis nullum in ordinatione usum esse sive instrumentorum traditionis, sive etiam unctionis. An autem unctione antiquitus saltem usi fuerint, controvertitur. Atque id quidem nonnulli putant colligi posse ex veterum testimoniis, præsertim Gregorii Nazianzeni, orat. 5, et auctoris Vitæ Chrysostomi apud Metaphrastem, apud quos sacri antistites dicuntur *chrismate deliniti*. Aliis tamen non videtur id sufficiens fundamentum.

et ritibus fieri debeant ordinationes Græcorum, præscribitur. Vide tom. III, verb. Græci.

69. Ordinationes Græco Ruthenorum ad Ecclesiam catholicam redeuntium episcopo Auxerensi delegantur. Idem, constitut. 63, incip. *E sublimi*.

70. * Ordinem verum esse novæ legis sacramentum ex consensu theologorum omnium et concilii Tridentini definitione sess. xxiii, cap. 3, certum est ut supra traditum. Id vero sacerdotio convenire una est omnium theologorum catholicorum vox, nec sine periculo gravis erroris id negaretur de episcopatu, quamvis diversum non esse ordinem a sacerdotio, sed ejus extensionem, perfectionem, complementum teneretur. De diaconatu, quamquam certum non sit de fide ex sensu quorundam theologorum, at tamen ex Tridentini definitione inferri posse videtur.

71. De cæteris singularibus ordinibus disceptant theologo, quamvis de subdiaconatu aliquanto minor sit quæstio præ cæteris inferioribus. Hanc definiendam Pontifex nequaquam se assumpsisse profitetur. Quare vetat episcopis, ne sacrilegii criminis in suis synodis eos damnent, qui cum conscientia peccati lethalis ordines diaconatu inferiores susceperunt. Quamvis alio nomine se sacrilegii gravis reos statuerent, cum sacra ordinatio fieri plerumque non soleat, nec possit extra missarum solemniam, in quibus recens initiati sacra Eucharistia participant, cui irreverentiam gravem irrogaret ille, qui cum conscientia gravis peccati ad eam suscipiendam accederet. *De synod. diac.*, lib. vii, cap. 24, per totum.

72. De materia hujus sacramenti dubietas intercedit (de episcopatu, sacerdotio et diaconatu res est) num in instrumentorum traditione, num vero in impositione manuum, num tandem in utraque simul consistat quin et de impositione manuum dubii hæremus; trina est enim. Ex quo fit ut si in aliquo rerum articulo omitti aliquid contigerit, ex responso sac. congregationis, censet Pontifex ut simul tota ordinatio sub conditione iteretur. *Ibidem*, cap. 25.

73. Sacri vero ordines intra missarum solemniam nec ab alio, quam ab episcopo ordinante celebranda conferendi sunt, et reum se gravis culpæ episcopus constitueret, qui alio sacerdote celebrante, ipse interim sacræ ordinationis ministerium præstaret. Valeret tamen ordinatio. *Ib.*, cap. 26, § 5 et 6 (161).

Nempe in laudatis locis *chrismatis unctionem* mystico duntaxat sensu accipiendam esse contendunt Græcorum rituum periti, ut Arcudius lib. vi *De sacram.*, cap. 1, et Morinus in *Commentario de ord.*, p. iii, exercit. 6. Nobis id insinuasse satis esto.

Latinorum in sacris ordinibus ritus habes in concilio Carthaginensi iv, anni 398, præsertim vero in Pontificali Romano, ad cujus illustrationem multa conferent Menardus ad S. Gregorii M. Sacramentarium, Martenius, *De antiquis Ecclesie ritibus*, laudatus Morinus, et Catalanus in suo ad Pontificale commentario.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

74. Concilium Tridentinum, sess. xxii, canon. 2 et 3, de sacrament. ordin. definit dari in Ecclesia præter sacerdotium alios ordines majores, et minores, et ordinem esse verum sacramentum.

75. Quod attinet ad minores ordines, semper in Ecclesia, tum Latina, tum Græca, diaconatus fuit major ordo. At subdiaconatus major utique ordo erat tempore concilii Tridentini, sed in ipsa Ecclesia Latina, non nisi exeunte sæculo decimo, inter ordines majores adnumeratus est; Rousseaud de la Combe in sua *Jurisprud. canonica*, verbo *Ordo*, num. 1 et seq.

76. Quod vero concernit minores ordines, dum concilium Tridentinum fuit conditum, erant in Ecclesia Latina quatuor minores ordines; at antea in ipsa Ecclesia Latina alicubi erant pauciores. Rousseaud de la Combe, in sua *Jurisprud. canon.*, verb. *Ordo*, d. num. 2; Morin. exercit. 13, cap. 1, ubi et de numero ordinum minorum in Ecclesia Græca.

77. Patet ex his, minores ordines non esse a Christo, neque ab apostolis immediate institutos, sed ab Ecclesia, crescente fidelium multitudine, pro locorum, et temporum necessitate, et opportunitate. (78. Monet vero Morin., *ubi supra*, dici et eos posse juris divini, et institutionis apostolicæ, in quantum ipsi *eminenter et formaliter* in diaconatu continebantur, atque Ecclesiam postmodum, crescente fidelium, ac ministrorum numero, de diaconatu eduxisse. At locutio hæc scholasticis utique non item Morino castigatioris eruditionis viro convenit.

79. Recte vero idem Morin. concludit minores ordines, utpote nec a Christo, nec ab apostolis institutos, rationem sacramenti haud habere. Neque id est contrarium canon. 3 mox citati concilii Tridentini. Subsistit enim veritas hujus canonis, licet solus presbyteratus sit sacramentum. Consule etiam Van-Espen., *Jur. Eccles. univ.*, part. ii, tit. 9, cap. 1, § 6.

80. De materia et forma sacramenti ordinis nil concilium Tridentinum definit. At Eugenius IV in decreto pro Armenis de hoc sacramento disserens: « Cujus, inquit, materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo; sicut presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenæ cum pane porrectionem; diaconatus vero per libri Evangeliorum dationem; subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem: et similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma sacerdotii talis est: « Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis, et mortuis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: et sic de alio rum ordinum formis, prout in Pontificali Romano late continetur. »

81. Non male autem Morinus, et Van-Espen., *l. c.*, tradunt, quod mens Eugenii IV in hoc decreto, seu instructione, haud fuit, essentialis et a Christo institutas materias

et formas sacramentorum assignare, sed ad summum usitatas tunc in Ecclesia Latina materias, et formas, ut hoc decreto redderentur Armeni de ritu Ecclesiæ instructi.

82. Cæterum, quæ hodie pro forma et materia præscribuntur, exacte observari debent. Confer hic etiam Rousseaud de la Combe, in sua *Jurisprud. canon.*, verb. *Ordo*, n. 3, ubi quod unctio in ordinatione est tantum cæremonialis, nec semper fuit adhibita.

ARTICULUS II.

Quoad ea quæ concernunt tempora faciendarum ordinationum, et qualitates ordinariorum.

SUMMARIUM.

1. Prima tonsura quando et ubi conferri possit? — 2. Ordines minores conferri possunt, non solum in generalibus ordinationibus, sed etiam singulis Dominicis, atque festivis diebus, etiam extra missam. — 3. Imo non solum unum, aut duo possunt episcopi promovere ad ordines minores dictis diebus Dominicis et festivis, sed etiam plures, dummodo non tot ordinentur, quod videatur esse generalis ordinatio. — 4. Dicti dies festivi, quibus ordines minores conferri possunt, sunt dies festi, qui a populo coluntur, et servantur. — 5. Ordines minores olim non solum dictis diebus festivis, sed etiam alio quocunque die, et loco benevisio episcopis poterant conferri. — 6. Hodie autem per generalem ordinationem non conferuntur, nisi in quatuor temporibus, aut sabbato sancto, vel sabbato ante Dominicam Passionis, et per specialem paucorum ordinationem, in Dominicis, et aliis festivis diebus. — 7. Ex consuetudine tamen plurium ecclesiarum ordines minores conferuntur, non in sabbato, sed in feria sexta, vel quarta quatuor temporum vespere. — 8. Hinc non est necesse, quod conferens et recipiens ordines minores sint jejuni. — 9. Ordines majores de jure conferri possunt solummodo in sabbatis omnium quatuor temporum, in sabbato ante Dominicam Passionis, et in sabbato sancto tempore missæ. — 10. Nec potest induci consuetudo conferendi dictos ordines majores in aliis temporibus. — 11. Ex privilegio autem Summi Pontificis possunt valide, et licite conferri ordines majores extra dicta tempora. — 12. Et ad hoc validum et stabile privilegium habent regulares omnes. — 13. Imo regulares habent Apostolicum privilegium recipiendi ordines sacros etiam tribus diebus festivis continuis. — 14. Episcopatus confertur die Dominico, vel natalitio apostolorum, nisi Summus Pontifex aliud specialiter indulerit. — 15. Supradicta tempora a jure statuta ad conferendos ordines, non sunt de substantia collationis illorum. Unde, si illis non servatis, conferantur, imprimatur nihilominus character. — 16. Duo ordines sacri nequeunt conferri eadem die. — 17. Imo eodem die neque conferri debent ordines minores et subdiaconatus, nisi adsit consuetudo, quæ est probanda per episcopum. — 18. Potest tamen episcopus ordines minores ex consuetudine privatim aliquibus conferre die Veneris quatuor temporum, si sit dies festus, et in sabbato ad subdiaconatum eos promovere ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ. — 19. Afferitur ad rem decretum sacræ congregationis. — 20. Imo plurimi volunt absolute, quod, dispensante episcopo, possint ordines minores die immediate præcedente sabbatum quatuor temporum conferri, et die sabbati subdiaconatus, ut asserunt illi usum obtinuisse in Hispaniis, Italia, et alibi. — 21. Quoad interstitia temporum ad ordinationem requisita, *remissive*. — 22. Ordinum sacrorum collationes publice in cathedr. eccles. vocatis, præsentibus ad id eccles. canonicis, celebrari debent. — 23.